Joanni Cottono

Clarissimo viro d. Johanni
Cottono.

(512).

Constantinus Hugenius
a Zulichem.

S. P.

Dum te carere cogar, nobilissime Cottone, quod imprimis doleo, nihil mihi gratius accidere potuit, quam quod humanissimo epistolio dignatus sis testari non excidisse tibi memoriam hominis exteri, tantâ tuâ benevolentiâ parum digni. De Republica quod a me sciscitaris, mallem id quaestionis legato nostro proposuisses. Haec illi spartha commissa est; Unius mei Principis mihi jussa capessere fas est καὶ ἔμαθον ἐν οἷς εἰμι αὐτάρκης εἶναι. Hoc testari possum, virum egregium atque diligentem id curare serio, ut vestros homines, nescio quo fatali lethargo sopitos ac socordes evigilare tandem faciat, et hoc nobiscum doceat intelligere, quanti sit ut conjunctis viribus animisque, obviam vel eamus, vel ire si necesse sit, parati simus ambitioni Gallicae, quam sapientissima olim Elisabetha vestra prudenter ac generosè compescuit, et secum jussit habitare. Inspirabit eosdem spiritus spero Regi et magnatibus vestris, utrique nostrum propitius Deus ἐν τῷ ἑαυτοῦ καιρῷ. Illi te Vir Illustrissime ex animo commendo. Scrib. Londini $\frac{\text{XIV}}{\text{XXIV}}$ Apr. CIↃIↃCLXXI.

Scribo erudito Lutetiâ in κειμηλια Regis illatum esse Othonem aeneum cum inscriptione Graeca, quem I. Bapt: Capponi Bononiensis Medicus toto libro in eam rem composito adstruere conatur verum et genuinum esse, quia et in Aegypto cusum, quod teste Tacito ac Plutarcho, ab Othone stabat. unde et a tergo quasi simulacrum Isidis apparere. Caeterum Latinos omnes doctioribus suspectos esse, neque immeritò.

Ad Reverendissimum
Celsissimumque
Principem Ferdinandum
Episcopum Paderbornensem
Adjutorem Monasteri-
ensem S.R.I. Principem
Pyrmontanum et
Baronem de
Furstenberg:

Reverendissime ac Celsissime Princeps. (513).

Heinsium nostrum, ut hic vides, compellare statueram quo tempore beatum hospitem tuâ in Aulâ, hoc est in Elysio suo, opinabar commorari. Postquam inde abiisse nunciatum est, nolui te latere, quo genere sermonum inter nos uti solemus, quoties de te mentio est. Interesse praeterea meâ sensi, scire te quam non

sustinuissem